

CONCIO IX.

crucem et ostende ei pendentem Dei Filium nudum prorsus et exutum coram ingenti populo. Objicit tibi difficultatem perseverantiae et experientiam relapsus? Oppone ei crucem et dic: Dei Filium, licet sannis Judæorum atrociter provocatum ut descendenter de cruce, non tamen descendisse, sed in ea perstissem; et hoc ipsum etiam te cum gratia Dei posse. Objicit denique, majorem esse iniquitatem tuam, quam ut veniam merearis? Oppone ei crucem et dico: Dei Filium in cruce latroni veniā dedisse et paradisum aperuisse, neconon propterea tam copiosam obtulisse Patri satisfactionem, sanguinem omnem effusisse, mortem turpissimam subiisse, ut de venia obtinenda nemo desperaret.

VII. Demum fuit rex Basac, Num. XXII. et seq. qui non tam armis, quam astu conatus est impedire Israelem a progressu in terram Chanaan. Adduxit enim primo, ariolum Balaam, diaboli prophetam, qui malediceret Israeli et magicis artibus vires adimeret. Sed cum hoc nihil proficeret, ex consilio illius posuit scandala coram Israele, puellas scilicet selectissimas, quae eas primo, ad stuprum, deinde, ad idolorum suorum cultum pertraherent; unde futurum sperabat, ut Israel divino praesidio ob peccata commissa destitutus, prevalere sibi et progredi non posset. Quod consilium longe pessimum fuit; plurimi enim Israelitarum hac arte decepti fuere, sed postquam illi a Moyse occisi, deleti postea et hostes sunt. Balac involvens, vel destruens expavit, et malignum designat mundum, qui partim suis obtrectationibus, partim scandalis et innumeris peccandi occasionibus propositis, impedire conatur homines ne convertantur ad Deum atque ita involvit et destruit. Ita per Pharisæos obtrectabat Zacchæo et Matthæo, quasi ipsi peccatores cum essent, a Christo recipieren-
tur. Ita retinebat eos, qui metu Judæorum non audebant sequi Christum, diligentes gloriam hominum magis quam gloriam Dei, ut ait Joannes, c. XII. Quemadmodum enim porci simul omnes grunniunt, cum unus eorum capit vel tenetur, sic faciunt mundani, cum quis de illis converti incipit. Ponit deinde idem mundus varia scandalis et peccandi occasionses. Quemadmodum Abenner Indiæ rex Josaphat filio nuper a Barlaam converso, cui retrahendo misit filiam regis Persiæ, quam habebat captivam, ut illi suaderet conjugium, spondens se quoque christianam futuram ac totam Persidem cum ipsa. Sed Josaphat ab ea aversus procidit in genua, et Dei opem ac perseverantiam petit, quam et mox obtinuit, Damascenus in historia Barl. et Josaph. Sic Theodora Thomæ Aquinati filio, ut eum a

proposito religionis impeditret, scortum submisit, quod is titione fugavit, et mox sensit lumbos sibi constringi, nec deinceps amplius tentatus est. Denique, Josephum retinere conata est domina, sed ille fugit, Genesis XXXIX. Hos igitur imitare: fuge, fuge, ora: et ita demum venies in Chanaan, id est, cœlum. Amen.

CONCIO IX.

DOCUMENTA EX EVANGELIO.

- I. Quomodo pellendi dæmones. — II. Quomodo instituenda confessio. — III. Quomodo audiendum Dei verbum. — IV. Jejunandum esse. — V. Communicaendum in paschate. — VI. Inimicitiae deponendæ.

THEMA.

Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Luc. XI.

Nusquam ab imperio Christi tuti erant dæmones, undique pellebantur, ubicumque deprehendebantur, nec latere poterant. Eodem modo, auditores, quia se passim undique dæmones inter nos occultant, retro suggestum, retro sedem confessarii, retro altare, in culinis, in privatis ædibus, undique pellendi sunt. Et si digito Dei, id est, facile et expedite, nostra admonitione ejici possunt, profecto pervenit in vos regnum Dei. Ergo adoriamur hostes istos: vos vero audite.

I. Discimus ejicere dæmonem e cordibus nostris nimirum in digito Dei: *Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Quid autem sit iste digitus Dei, Matthæus exponit, qui sic scribit: *Si ego in spiritu Dei ejicio dæmonia.* Ergo quando Spiritus sanctus per gratiam suam in nobis inhabitare incipit, tunc eo ipso et immediate ejicitur diabolus, velut canis expellit efovea vulpem: illius enim introitus est hujus exitus et expulsio. Si cum Exod. VIII. magi Pharaonis nihil amplius præstigiarum exhibere possent, dicebant Pharaoni: *Digitus Dei est hic.* Sed qua ratione comparari gratia Dei potest? Si addamus digitum nostrum, id est, si disponamus nos ad illam, per bona opera, orationem, jejunium, elemosynam, confessionem, propositum emendationis, confessionem, etc. Per haec enim dispositive acquiritur gratia et expellitur dæmon, veluti vulpes ex antro per fossionem, fumum, vel clamorem. De hoc bone operationis digito dixit Dominus, Scribas et Pharisæos notans: *Alligant onera gravia, etc. digito autem suo nolunt ea movere,* Matth. XXIII. Porro quo pejorem vel quo plures

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

quisque dæmones et quo diutius in corde suo fovit, eo fortiori digito opus habet eoque diutius et impensis se ad eorum expulsionem disponere per opera bona debet. Est enim teste Domino aliquod genus dæmoniorum, quod non ejicitur nisi oratione et jejuno. Et si quis adhuc deterrorem habeat dæmonem, quod facile contingit, manum totam adhibeat omnesque intendat nervos; quoque efficacius labore, contrariis illis pharmacis utatur. Mammonam expellat elemosyna, Asmodæum flagello et cilicio, Behemoth jejuno et abstinentia, Luciferum oratione et aliis humilitatis operibus, Beelzebub vigilia, labore, etc.

At vero asperiora sunt hæc media, inquis. Sed quid si tibi alium adhuc monstrem digitum, quie ad hæc compellat, eaque levia tibi faciat? Quid sibi vult index digitus, quando eo comminatur dominus servo, magister discipulo, pater filio? Annon minatur verbera et virgas? Attolle oculos tuos ad digitum illum Dei communiantem tibi gehennam, nisi per opera bona et pœnitentiam ejaceris dæmonium. Sustulit oculos suos Balthasar in mensa epulans, et vidit digitos Dei scribentes sibi peccata sua et judicium: *Mane, thecel, phares, unde: Commutata est facies ejus et cogitationes ejus conturbabant eum et compages rerum ejus solvebantur et genua ejus ad invicem collidebantur.* Dan. V. Sustulit in inferno oculos suos epulo et videns Lazarum in sinu Abrahæ, dixit:

Pater Abraham miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat ex tremum digiti sui in aquam et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, Luc. XVI. Quid tibi, miser, vis cum extremo digiti? Dicere mihi videtur: O si haberem vel unum minimum opus bonum ex operibus Lazari! O si vel uno digito porrexissem illi micas in elemosynam de mensa mea! O si vel uno digito refrænassem linguam et gulam meam! Haberem utique refrigerium aliquod in tantis cruciatibus. Illam ergo flammam cogita, eique vel unum digitum cogitatione tua immerge, et forte non difficulter digitum admovebis ad bene operandum et dolendum de peccatis. Fecit hoc eremita quidam in vitis patrum cum tentaretur a diabolo, ob mulierem quamdam ex commiseratione receptam in tugurium: applicuit enim aliquantis per digitum ad ignem, considerans inferni pœnas: sieque vicit tentationem, et ejicit dæmonem.

II. Discimus instituere confessionem, verrendo nimirum domum conscientia nostræ scopis accurati scrutinii, prout in hodierno evangelio legimus scopis mundatam fuisse domum, quam intravit dæmon. Itaque primo, ante confessionem,

per omnes angulos verrenda et asqurienda est conscientia, cogitandumque ubi et quibuscum fuerimus, quid locuti, quid meditati, quid operatis simus, atque ita sordes in memorie angulum aliquem colligendæ sunt. Id faciebat David, Psal. LXXVI. dicens: *Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar et scopebam spiritum meum.* Qui interdiu forte ad hoc peragendum tempus non habet, faciat, id noctu, cum in somnis in lecto cubat, ut fecit et David, si interdiu ob regni negotia non potuit.

Secundo, aspergenda est aqua contritionis et lacrymarum, ut faciunt prudentes et sedulae famulæ. Nam ut absque aspersione pulvis non ejicitur, sed de terra in altum solummodo pelli-
tur, rursumque deinde subsidit; ita non sufficit sordes peccatorum per examen conscientias commovere, conquerere et expendere, sed præterea oportet aqua lacrymarum deprimeret et coercere. Ejusmodi sedula famula erat Magdalena, quæ non solum ad pedes Domini recogitavit sua peccata, sed et imbre lacrymarum aspersit.

Tertio, non sufficiunt semper scopæ, sed multorum cordibus terreum adhiberi rastrum debet; siquidem ait Dominus in hodierno evangelio, scopis mundata domo, adhuc dæmonem in eam reversum, quia nimirum graves et inveterati peccatores, si obiter tantum se excutiant et quidquid in mentem venit raptim confiteantur, nequaquam satisfaciunt aut mundant domum suam. Qui domum habet paucis sordibus tritam, et saepè eam verrit, non indiget nisi scopis; sed qui domum habet instar tabernæ quibuscumque sordibus apertam, eamque in anno semel aut bis tantum purgat, rastro etiam indiget. Ita qui ostovo quoque die confitetur, facile negotium id conficiet: non ita qui mundi occupationibus immersus semel aut bis in anno. Huic igitur longum adhibendum tempus præparationis, considerandæ peccatorum circumstantiæ, numerus, species, gravitas, radices, consuetudines, occasiones, scandalis inde orta. Longiori discussione major adhibenda contritio, firmius propositum, fortiora remedia, etc. Ubi hæc non fiunt, vel dæmon non expellitur, vel facilis ei redditus patet in ejusmodi hominem.

Quarto, denique collectæ sordes per oris januam ejiciendæ sunt in sedem confessarii, non occultandæ prout a pigris famulabus fit in aliquo cordis angulo. Hoc enim esset includere dæmonem, ne exire posset. Sed heu quam multis in lingua sedet dæmon jamjam exiturus, qui tamen illum in se retrahunt, pudore absterrit! Nec minus attendendum, ut ejecto dæmone,

domum tuam custodias, ne cum pluribus et ne quoribus ad eam revertatur.

III. Discimus audire Dei verbum, cum dicitur: *Quinimo, beuti qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Hoc enim verbo Christus docet multo beatius esse, concipere Christum mente per decentem verbi Dei auditionem, quam utero solum, adeoque nec matrem quidem ipsius futuram fuisse beatam, nisi eum, quem in ventre conceperat, concepisset in mente. Unde patet neminem dici beatum aut pium posse, qui fastidit Dei verbum: sed potius si quis Christo conjunctissimes esset, et verbum Dei non audiret, nequam beatum aut bonum fore. Audiendum itaque Dei verbum, et frequentius hoc tempore quadragesimali, quo plures undique conciones habentur, et quotidie peculiare legitur evangelium. Nec jubetur legi, sed audiri verbum Dei, quia auditum longe vivacius et efficacius est perfecto.

Secundo, custodiendum etiam, hoc est, mente servandum et opere. Audi Sanctum Bernard. serm. V. de adventu: « Sic serva sermonem Dei, inquit, quo modo melius servare potes cibum corporis tui: nam et ille panis vivus est et cibus mentis. Panis terrenus, dum in arca est, potest a fure tolli, potest a mure corrodi, potest vestitate corrumpi. Ubi vero comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi verbum Dei. Beati qui custodiunt illud. Ergo traiiciatur in viscera quedam animae tuae, transeat in afflictiones tuas et in mores tuos. » Hæc ille. Coquatur ergo primo, in memoria, deinde, dividatur in vires animæ et affectus, necnon in membra corporis. Sed quemadmodum Christus in hodierno evangelio quadruplices habuit auditores vel spectatores; alii admirantur sunt; quidam autem blasphemantes dixerunt: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia;* alii tentantes signum de cœlo quererebant ab eo; demum unica pia mulier salubriter commota est, et exclamavit de turba: *Beatus venter qui te portavit:* ita fit etiamnum. Alii admirantur, sed sine fructu; alii calumniantur et cachinnantur; alii ex curiositate audiunt, et hi omnes non custodiunt verbum Dei, prout decet. Minima tandem pars est, quæ custodiatur. Annon hic videmus, quod alibi docuit in parabola Dominus, tria semina periisse, et vix quartum cecidisse in terram bonam? Atque utinam vel quarta hominum pars cum fructu audiat Dei verbum! Fieri tamen potest, ut tandem fructuose audiant, qui prius frustra audierunt; uti patet exemplo Sancti Augustini, qui conciones Sancti Ambrosii initio minus libenter audiit, paulatim tamen iis inescatus est, l. V. conf. c. XIII. et XIV.

V. Discimus communicare. Ait enim Dominus: *Qui non est mecum, contra me est.* Quid enim hoc

IV. Discimus jejunare. Legimus enim diabolum in locis aridis et in aquosis ambulante, non invenisse requiem seu locum habitandi. Ipse enim, ut ait Dominus, Job, cap. XL. *Dormit in locis humentibus,* id est, in deliciis, conviviis et Bacchi festis. In hujusmodi palustribus locis securus latet, nec facile expugnari potest; nam vel et ipso dormiente et vacante crescent in epulonibus et bibonibus, omnis generis vitia, quasi insecta venenosa: at vero in desertis et arenosis locis, ubi aquarum et deliciarum inopia, ubi jejunium viget, ubi anachoretae, Antonii, Macarii, Pauli, etc. degunt, ibi inquietatur, ibi vires perdit, ibi expugnatur. Pulchre hoc designat pisces ille grandis, Tob. VI. qui dum in flumine erat, proprie sedentem Tobiam et lavantem pedes aperto ore deglutire parabat: sed extractus in siccum, vires perdidit et palpitare coepit ante pedes ejus. Venerabilis Beda sentit diabolum eo pisce representatum. Nec immerito; nam in aquis deliciarum et bacchanalium deprehendens hominem, deglutire potest, sed in sicco vires perdit, palpitat et superatur. Christus contra: « Habitat desertum pectoris nostri, (ait S. Ambros. serm. XXXVII. de quadrages.) eum nostram terram fame squalidam ac siti aridam esse reperit, secundum quod ait propheta, Psal. LXII. *In terra deserta et invia et in aquosa, sic in sancto apparui tibi.* Aliter enim sicut in sancto ei apparet non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis deliciis, invia diabolicis concupiscentiis et in aquosa libidinosis illecebris. » Sic ille. Quoniam igitur nos brevi sicut in sancto volumus apparere Deo, videat quisque aridam, an humorem et aquosam incolat terram, neque se decipiatur. Si enim vesperi nunc non cenes quidem, tantum vero panis et belliorum sumas quantum sufficere comedioni posset, jam ibi requiescit dæmon. Rursum si jejunum quidem serves, potu tamen nimio te obrucas: jam et ibi in humente loco est. Denique, non dubito diabolum tempore quadragesimæ perambulare vestras culinas: et si quidem vacuas reperit a carnibus, ibi requiem non invenit, sed palpitat et fugit. At ubi ollas carnium deprehendit, ibi absque dubio habitat magna sua quiete et plausu. Væ tibi, qui inde vesceris, quia *mors in olla:* diabolus in buccella intrat in os tuum, quemadmodum in undam! Væ vobis patres et matres familias, qui ex hac olla occiditis familias vestras, liberos, servos et ancillas: non tantum venenato cibo, sed et malo exemplo! Ibi saltat, ibi fidibus canit ad mensam vestram dæmon. O si hoc videberis!

aliud sibi vult, quam non solum illos homines Christi inimicos esse, qui palam ei contradicunt et adversantur, verum etiam illos, qui ab illius partibus non stant, ejus praesentia in s. communione non delectantur, nec ostendunt dictis et factis se Christianos esse: itaque qui Christi est, faciat hoc tempore, quod est Christiani. Neque enim sufficit non spernere religionem catholicam, non esse haereticum, non contemnere communionem et confessionem, catholicum se ostendat; quæ sunt catholici, faciat. Itaque sicut olim Moyses, postquam populus ejus vitulum coluerat, clamabat: *Si quis est Domini, jungatur mihi:* atque ita junctis sibi levitis in vituli cultores gladio desævit, Exo. XXXII. ita nunc clamat Ecclesia, cui nos omnes, filii ejus sumus, jungere nos debemus et pugnare in rebellis. Quin et hoc sibi vult hoc verbum: *Qui non est cum Christo, id est, qui non incorporatur ei in eucharistia, non est membrum ejus, sed dia-boli.*

Communicandum autem mundo corde, siquidem ad illum accedimus, qui vidit in hodierno evangelio cogitationes Judæorum. Optimus ille paterfamilias Jacob ascensurus in Bethel juxta præceptum Domini, et oblaturus sacrificium, convocavit prius totam domum suam et ait: *Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini ac mutate vestimenta vestra; surgite et ascendamus in Bethel, et faciamus ibi altare Deo,* Gen. XXXV. q. d. non tam ire ad terrenum dominum, sed ad Deum, idcirco mundas induite vestes, et abjicite si qua clanculum gestatis aut tegitis idola. Oblata igitur Jacob accepit et defodit subter terebinthum. Ad hunc modum ego postremissimus licet, rogo vos, et postulant a vobis vestri confessarii, ut proferatis idola peccatorum vestrorum iisque offeratis defodienda subter crucem. Potuit quidem Rachel occultare ea idola patri suo, Gen. XXXI. potestis et vos in confessione decipere confessarium, sed non item Deum. Mundas igitur induite vestes, sinceratis et innocentiae, ut ita coram Deo scrutatore cordum mundi appareatis, eumque mundo excipiatis corde.

VI. Discimus colligari mutuo amoris vinculo et alteri alteri reconciliari. Ait enim Dominus in hodierno evangelio: *Qui non colligit mecum, dispergit,* q. d. meum officium est unire mihi et sibi invicem omnes fideles, ut in me sint unum. Qui in hoc opere me non juvat et proximis suis reconciliari detrectat, ille non me, sed diabolum,

patrem discordiarum et auctorem dispersionis imitatur; ac bona quidem celestia perdit, gehennam vero meretur. Quam cupiat nos Christus colligere in unum, vel ex sola eucharistie institutione patet, quando nos uni eidemque corpori suo, adeoque nobis invicem conglutinare voluit. Unde apostolus, I. Corinthiorum X. ait: *Unus panis, unum corpus, multi sumus, omnes qui de uno pane participamus:* hinc eucharistia dicta est communio a ss. patribus, quia realiter omnes unit corpori Christi, quasi communis unio fidelium: rursum *synaxis,* id est, congregatio: denique, a Concilio Trid. sess. XIII. c. VIII. dicitur *signum unitatis, vinculum charitatis, pacis et concordia symbolum.* Quoniam igitur ad eam brevi nobis omnibus accedendum est, deponamus omnem rancorem, odium, litigias et contentiones. Certe olim Christiani ante communionem, pacis osculum sibi mutuo imprimebant in signum unionis: idem nos faciamus intra hanc quadragesimam, nisi malimus audire: *Si vos in vosmetipsos divisi estis, quomodo stabit regnum vestrum;* siquidem *omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Sane alicubi locorum in principio quadragesimæ primariis aliquot viris demandatur munus publica auctoritate, pacificandi dissidentes in civitate, eorumque, nomina e suggestu publicantur, ut scribit Carolus Regius, in christ. oratore, lib. X. c. XXIII. Hoc utinam undique fieret!

Deinde, moveat nos sanguis Christi Domini, fortissimum amoris gluten, quo una omnes redempti et conglutinati sumus, quo et brevi ablueri. Franciscus Petrarcha scribit veterem fuisse morem Coloniae Agrrippinæ, ut in die Sancti Joannis Baptæ mulieres ingenti numero confluerent ad Rheni ripam: ubi nudata brachia flumini immergabant et herbis odoriferis perfribabant, sicutque omnes suas adversitates et afflictiones Reno transmittebant, lætiora in posterum expectantes. Ut iste suas adversitates, sic nos non adversitates tantum, sed et lites et discordias in sanguine Christi mergamus. Nonne Herodes et Pilatus, cum prius inimici essent, sibi reconciliati sunt, postquam in sanguine Christi lavarunt manus suas? Itaque si unquam alias, hoc potissimum tempore exire nos convenit ad flumen illud roseum, et omnes nostras afflictiones, adversitates, inimicitias in id projicere, sic enim absque dubio succendent lætiora, lætum pascha, læta resurrectio. Amen.

CONCIO X.

MYSTERIA.

I. Unde hic homo mutus? — II. Cur sinit Deus vexari homines a dæmonie? — III. Cur aiunt in Beelzebub ejici a Christo dæmonia? — IV. Quis et unde Beelzebub? — V. Quomodo probat Christus se non uti opera dæmonum? — VI. Quis Dei digitus? — VII. Cur dæmon fortis armatus? — VIII. Quomodo in locis aridis requiem non invenit? — IX. Quinam illi septem spiritus nequiores? — X. Cur recidivorum novissima pejora prioribus?

THEMA.

Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. Lucæ XI.

Scimus quidem ex ss. litteris regium illum Davidem corrogasse ingentem thesaurum, et reliquise filio suo, nibilominus tamen fateri debemus eum suas illas opes nihil aestimasse, et omnem suam hereditatem totumque patrimonium, non in illis opibus, sed alibi habuisse. Ita enim ipse Psalm. CXVIII. dixit: *Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam,* q. d. haec sunt opes meæ, hic thesaurus, hoc patrimonium, in quo omnes meas res et spes pono custodia legis tuae: haec sola me æternum beare et super omnes reges extollere poterit. Ita est, o David.

Audimus enim in hodierno evangelio Dominum dicentem, majus bonum esse audire Dei verbum et custodire illud, quam fieri Dei Matrem (si hanc dignitatem præcise intelligamus absque verbi divini custodia) indeque Christi Mater multo beatior fuit, quod verbo divino addicta, quam quod Christi Mater esset. Quando ergo, auditores, tanti pretii res, et tam nobilis portio est audire et custodire verbum Dei, ut non solum regias opes Davidis, verum etiam celsitudinem Matris divinæ vincat et exsuperet, quis non omnibus votis hanc sibi portionem eligat? Quis nisi emotæ mentis sit, odisse vel negligere Dei verbum poterit? Quare si beati esse cupimus, audiamus Dei verbum imprimis, deinde custodiamus.

I. Unde hic homo mutus fuit? Respondetur probabile esse, tales a dæmonie obsidente effectum esse, ut vult S. Chrysostomus, Euthymius et alii: probabilius tamen videri, ex alio aliquo casu prius jam fuisse mutum, non ex dæmonis obsessu, uti S. Hieronymus, quia tria simul miracula vult in homine hoc patrata esse, muto loqulam, cæco visum, obsesso libertatem redditam. Hæc sententia magis attollit miraculum: quod alioquin simplex tantum fuisset, ejecti

CONCIO X.

nimirum dæmonis: quo pulso homo per semet videre et loqui cœpisset.

II. Cur sinit Deus homines a dæmonie vexari et arripi? Resp. ob tres potissimum causas. Primo, ad fidem confirmandam; cum enim obsessi talia sæpe loquantur, quæ ab ipsis sciri nequeant, scimus enim ea ab obsidente spiritu depromi, ac proinde vera esse, que de spiritibus dicuntur in Scripturis. Rursum cum in nomine Jesu Christi dæmones expellantur, stabilitur etiam fides hujus sancti nominis. Secundo, ut inde colligamus, quibus ille modis vexet damnatos in inferno. Si enim ita cruciat homines in regno alieno, quomodo cruciabit in suo? Si ita tractat alienos, nondum sibi traditos, quomodo tractabit sibi adjudicatos? Tertio, ut ex iis quæ corporibus infert damna, intelligamus etiam quæ infert animis. Si enim verum est, quod Chrysostomus sentit, a dæmonie factum esse, ut hic homo, cæcus, mutus et (ut videtur) etiam surdus esset: facile hinc patet, quid in peccatoris animo operetur. Breviter, aufert illi omnem sensum rerum spiritualium, omnem motum ad superna et cœlestia bona.

III. Quare dicunt: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia?* Resp. Phariseos ex invidia hoc dixisse, quia viderant admiratas esse turbas Christi potentiam, et ut Matthæus ait, audierant dicentes: *Numquid hic est filius David?* Hinc ergo ut ab hac persuasione plebem averterent, dæmoni adscribunt ejus opera; ut ita verificant id, quod postea a Christo audierunt: *Væ vobis, Scribæ et Pharisei, quia clauditis regnum cælorum ante alios,* etc. Matth. XXIII.

Principi vero dæmoniorum adscribunt ejus miraculum, quod inferiores dæmones a superioribus coerceri posse non vane existimabant. Cum ergo plura dæmonia Christo ejici, et quidem summa cum potestate, minis et imperio viderent, principi dæmoniorum adscribendum id putarunt.

IV. Quis et unde Beelzebub? Resp. fuisse deum seu idolum Accaronitarum, aut potius dæmonem in idolo hospitantem. Significat autem habentem muscam, vel virum muscam: sic dictus secundum aliquos, quod in ejus sacrificiis magna convolarent muscarum agmina, ad cruentum animalium depascendum; secundum alios, quia in muscas similitudinem effigiatus erat. Neque hoc mirum; siquidem et talpis et vespertilionibus divinos a gentiliis honores exhibitos legimus apud Isaiam, capite. II. Secundum alios, quia muscas avertire solebat: quod idem munus tribuebant ethnici Jovi, qui idecirco ex voce Græca muscarum aversor, ut

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

auctor est Pausanias, appellatus fuit. Quæ possentia sententia si vera est, ut videtur Sanctio, in lib. IV. Reg. cap. I. Salmeroni et Vatablo, habemus etiam, cur princeps dæmoniorum dicitur, quia nimirum Jupiter primus deorum omnium habitus fuit: dæmones autem recte appellantur musæ, ob multitudinem, impudentiam, vexandi libidinem, etc.

V. Qua ratione demonstrat Christus, se non uti opera dæmonum? Resp. quatuor argumentis, quorum primum est: *Omne regnum in seipsum divisum desolabatur, et domus supra domum cadet;* si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? q. d. nullum imperium diu stare potest, ubi subdit inter se dissidunt seque mutuo impugnant et expugnant; quare si Satanas Satanam ejicit, discordia inter ipsos erit et ruet mox eorum regnum, quod tamen minime apparet, nec credibile est futurum, cum ea dæmonum maxima cura sit ut in hominum perniciem conspiret et stabilient regnum suum. Cum enim Satanæ regnum aliud non sit, quam potestas tentandi et vexandi homines maxime sibi subditos a Deo et ipsi permissa, si in illo factiones essent et discordiae, minime stare posset. Potest quidem fortior demon pellere et coercere debilorem: sed si hoc in magna multitudo passim, vi quasi armata et diu fieret, quomodo Christus passim omnes, quandoque simul plurimos reclamantes et gementes expulit; tunc profecto sine ruina regni eorum fieri non posset: præsertim si non solum inferiores sed etiam superiores privarentur potestate nocendi hominibus. Potest etiam dæmon simulare sese cogi ad egrediendum, sed ex Christi sanctitate cœlestique modo coercendi dæmones, necnon ex studio salutis humanæ satis unicuique patuit nihil simulationis subesse in dæmonibus.

Secundum: *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejicunt?* Hoc argumentum plerique veteres de apostolis intelligunt, quasi dicat Christus: Apostoli mei sunt filii vestri, et tamen ipsos non culpatis, cum ejicunt dæmonia; cur ergo me culpatis? Ideo in judicio ipsi vos judicabunt: vel sic: Non potest idem Beelzebub in me simul et in apostolis meis esse; si ergo in me operatur Beelzebub, quis operatur in apostolis meis, dum et ipsi ejicunt dæmonia? Sed rectius hoc argumentum videtur expoundendum non de apostolis, qui tunc probabiliter nondum ejiciebant dæmonia, nondum ad prædicandum missi, sed de aliis Hebræorum filiis. Scimus enim ex Josepho, libro VIII. antiq. cap. II. et Origene, homil. XXXV. in Matth. Epiphanius in hæresi Ebion. fuisse etiam olim exorcistas I. ad Corinthios XII. Secundo, *sicut ex brachio*

inter Hebraeos, institutos a Salomone, quo tempore adhuc Deo adhærebat; quales fuerunt septem filii Scœvæ sacerdotis, Act. XIX. Jam si isti dæmones expulerunt, et quidem vi divina, ut putabant ipsi Hebrei, quare non idem de Christo quoque senserunt? Idcirco id quod egerunt illi, condemnabit aliquando Judæos: sicutque ipsi erunt illorum judices, etc.

Tertium: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet: si autem fortior eo superveniens vicerit cum, universa arma ejus auferet,* q. d. vel hinc cognoscite me cum dæmonie non colludere, quia ipsum spolio suo imperio, dum ejus vasa, homines, quotidie diripio, ipsum terreo, vincio, expugno, relego. Fateri ergo debetis me ipso fortiorum esse: porro sciendum potestatem seu regnum diaboli per Christum non quidem omnino destructum (quod in fine temporum fiet) magnopere tamen imminutum esse, dum passim, frequenter et tam multis dæmones e corporibus deturbavit, quod prius factum non erat, de Christo autem prædictum erat.

Quartum: *Qui non est tecum, contra me est, etc.* q. d. et hinc etiam discere potestis, me nihil facere opera diaboli, quia admodum dissimilia sunt meis operibus opera diaboli; ille dispergit, ego congreto; ille ad variorum idolorum cultum homines abducit, ego vero adduco ad unius et veri Dei cultum.

VI. Quisnam Dei digitus, in quo se ejicere dæmonia Christus dixit? Resp. primo, esse potentiam Dei, quemadmodum, Exod. VIII. dixerunt malefici: *Digitus Dei est hic?* Hoc est, Dei virtus et potentia, quæ assistit Moysi, nos autem coercet ne cinches producere possimus. Ratio est, quia digiti sunt actionis instrumenta; et licet in Deo sit una virtus operativa, eadem tamen multiformis est ratione multorum effectuum; unde cœli, Psalmo VIII. vocantur *opera digitorum ejus.* Resp. secundo, esse Spiritum sanctum secundum Augustinum, Cyrillum, D. Thomam, et alios, quia apud Matthæum ait Dominus: *Si in spiritu Dei ejicio dæmonia, quamquam spiritus Dei idem significare potest quod virtutem et potentiam Dei: unde sensus iste mysticus potius videtur esse.* Bene autem Spiritus sanctus comparatur digito: *Ob partitionem donorum. In nullis enim membris magis apparent partitio quam in digitis,* inquit S. Augustinus, l. II. quæst. evang. cap. XVII. Varius tibiæ vel alterius instrumenti sonus a varia digitorum applicatione provenit, ita: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, etc.* I. ad Corinthios XII. Secundo, *sicut ex brachio*